



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Carminvm Iacobi Albani Ghibbesii, Poetae Lavreati Caesarei, Pars Lyrica**

**Gibbes, James Alban**

**Romae, 1668**

Ad Laelivm Vrsinvm. Auroram Musis amicam esse. Ode XXVI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13378**

Magnus, fac, roseo pastor Apollini  
 Stellarum similis motibus imperet :  
 Terræ te globus imæ ,  
 Felicesque vicarium  
 Prouisis homines ritè negotijs  
 Agnoscant dominum . Quis bona mentibus  
 Largiri valet æquè ,  
 Aut defendere munera ?  
 Nostras ô igitur respice porticus ,  
 Et deuota foue pectora Palladi ;  
 Vt, te præside, Roma  
 Pœciles habeat Sophos .

## AD LAELIUM VRSINUM .

*Auroram Musis amicam esse .*

## O D E XXVI.

L AELI, compositas dedere iam manus  
 Cogor, docte, tibi . Somnus inertiam  
 Sacris degenerem vatibus, heu, parit ,  
 Parnassi parit incolis .  
 Namque hac, crede mihi, nocte Aganippidos  
 Lymphæ visus eram ducere pocula ;  
 Hinc & Gorgoneo celsus in alite  
 Musarum ad virides domos ,  
 Cyrrhæumque nemus feruidus euehi ;  
 Lesboam increpuit cum Polyhymnia  
 A tergo citharam, meque peracribus  
 Illudit tumidum iocis .  
 Huc, huc ô propius ; Castaliæ retro  
 Diuæ cedite : mons en patet arduus  
 Soli, magne, tibi . Parta soporibus  
 Quanti gloria nominis !  
 Quantos, Somne, viros castra ferunt tua ,  
 Doctos quamque breui ! Turgide, limites

Sperasti Aönios gressibus impijs,  
 Et fœdâ latices gulâ  
 Phœbæos temerare? hinc procûl aufuge; i,  
 Cycni conde pigrum vellere nunc caput,  
 Totos sterte dies: Memnonis integræ  
 Matrem Pierides colunt.  
 Hac arte Ogygius carmina Horatius,  
 Hac arte Aufonius carmina Pindarus  
 Effinxit. Veniens pluribus alloqui  
 Musam deuenit dies.

AD FONTEMA QVOREAM,  
 IN AGRO TIBVRTINO;

*à Bernardino Card. Spada, Episc: Tusculano, instauratum, atquè Aquam Auream nuncupatum.*

O D E XXVII

A Vream cantemus Aquam, fonoros  
 Fontis assultus imitante plectro,  
 Ponte dùm victrix Aniena ridet  
 Serpere fufum.  
 Aureæ laudator Aquæ, pudendas  
 Barbaræ voces prohibebo plebi:  
 Tusculi lustrat pater; hinc nouari A-  
 QVOREA plaudat.  
 Vere quam fertis redimiuit albis,  
 Tinget Octobreis vitulo sub Idus;  
 Nos meri soluet populum minorem  
 Concha Lyæi.  
 Nam quid hoc vsquàm prius est recessu?  
 Grator Nymphis locus? ô calorum  
 Dulce solamen, medio vel æstu  
 Potus & umbra!  
 Tu nec Herruscæ, nequè (me canente)  
 AEliz quidquam reparata villæ,

VNDA.